



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 92. Congregationes habitæ de dogmatibus inter Latinos & Græcos  
controversis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.

A. C. 1438.

legitimum Pontificem veneraturos, in-  
tempestivum tamen sibi videri, Episco-  
pos suos durante isto concordiae tractatu  
Ferrariam mittere. Ea res non parum  
afflixit Eugenium, eoquod Græci Syno-  
dum inchoari cunctarentur, donec maxi-  
ma Episcoporum frequentia convenisset.

## §. XCII.

*Congregationes habitæ de dogmatibus  
inter Latinos & Græcos contro-  
versis.*

Verum Pontifex, ne tempus inutiliter  
transigeretur, efflagitabat Græcos, ut  
intermedia hæc temporis spatia exami-  
nandis dogmatibus inter utramque Ec-  
clesiam controversis sacrare, ac cum La-  
tinis conferre vellent. Græcis in plene  
Synodo negotium hoc pertractandum pe-  
tentibus tandem post iteratas preces  
ægre impetratum, ut ex utraque parte  
nominarentur, qui tribus in hebdomada  
diebus in Monasterio S. Andreae conve-  
nirent, ac de materiis controversis confer-  
rent. Itaque a Græcis delecti sunt Mar-  
cus Eugenius Ephesinus, & Monemba-  
siensis, Nicænus, Lacedæmonius, & Ar-  
chialensis Episcopi, unacum magno Chro-  
tophylace, magno Ecclesiarcho, duobus  
Abbatibus & uno Monacho, quibus Im-  
perator Jagarim adhuc adjunxerat.

*Conc. Gen.  
tom. 13. p. 23.  
& 918.*

tini vero nominabant Cardinalem Julia-  
num; Cardinalem Firmanum; Andream  
Colossensem, seu Rhodium; Joannem Do-  
ctorem Hispanum, & sex alios. Mar-  
cus Ephesinus, & Bessarion Episcopus Ni-  
cænus nomine Græcorum ad disputandum  
electi fuere, decretumque, ne ad princi-  
pales excurrerent quæstiones, utpote  
ipsius Synodi iudicio reservatas. Ante  
quaslibet hasce congregationes habitæ  
sunt tam a Latinis quam Græcis oratio-  
nes, in quibus generatim pax & utrius-  
que Ecclesiæ unio commendabatur.

Julianus Cardinalis Græcos, ut circa  
præcipuum unionis articulum secum in  
arenam descenderent, omni studio per-  
movere voluit. Verum his certamen  
tam in primo, quam in altero conventu  
studiose declinantibus, in tertio demum  
Cardinalis exposuit, Græcos, inter & Lati-  
nos quatuor controversa existere dogma-  
ta. I. De processione Spiritus sancti.  
II. De usu panis Azymi, vel fermentati  
in sacrificio Missæ. III. De Purgatorio.  
IV. De Primatu Pontificis; jam ergo ab  
ipsis sese postulare, ut edicerent, quem  
horum articulorum primo ad examen vo-  
cari vellent. Hi de Processione Spiritus  
sancti agere recusabant, causati, hanc  
materiam opportuniori reservandam tem-  
pori; ad reliquos vero articulos incon-  
sulto Imperatore respondere ipsis haud li-  
bitum.

Sæcul. XV. berum esse ajebant. Tandem in qua-  
 A.C. 1428. ta Congregatione vel articulum de Purgatorio, vel illum de Primatu Pontificis discutiendum proposuerunt, relicta Latinis electione. Edixerat quidem Julianus Cardinalis quæstionem de Purgatorio tractandam, de ea tamen non nisi in quinta Congregatione, die quinto Junii celebrata, agi cæptum est.

## §. XCIII.

*Consultatio Græcos inter & Latinos  
 de Purgatorio.*

Igitur Cardinalis Julianus, Græcis Romanæ Ecclesiæ dogma circa Purgatorium explanari postulantibus, exposuit, quod Latini crederent, justorum animas ab omni macula puras, omnique mortalis culpæ expertes confestim in cælum recipi, ac perfectam, æternamque gloriam consequi. Animas vero eorum qui post Baptisma peccatorum reatum contraxissent, quamvis ea detestati fuissent, si tamen ad expiandas ejusmodi neccitas satisfactionem plenam non exsolvisent, nec dignos fructus pœnitentiæ pro perfecta earum remissione egissent, per ignem piacularem esse mundandas, in quo nonnullæ diutius cruciarentur, alia citius liberarentur attenta peccatorum suorum gravitate: eas vero animas, quæ